D… …trans: Vrav…
…p… …Mathiae Lu-
binski, Episcopo Posnaniensi
Posnaniae Joan. Wolrab. 1628.

ΥΠΑΝΤΗΣΙΣ

ILLVST^{mo} AC RND^{mo} DOMINO.

D. MATTHIÆ LVBINSKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO POSNANIENSI SENATORI CONSTANTISSIMO.

Pietatis, Prudentiæ, Liberalitatis.

EXEMPLARI

Summa cum gestientis animi lætitia & gratulatione.

A

IVVENTVTE ACADEMICA
COLLEGII
LVBRANSCIANI

Patrono suo amplissimo
Academiæ Posnaniensis
Protectori maximo
Dum
Posnaniam Episcopæ suæ
Sedem augustam
Votis omnium auspicatis
Ad initium Anni Domini:
CIↃ IↃC XXIIX.
Felicissimè ingrederetur
PROCVRATA.

POSNANIÆ,
In Officina Ioannis Wolrabi. Anno D. 1628.

ODE
TRICOLOS TETRASTROPHOS.

Quamuis nec alti vertice montis, &
Musis amico, & Dîis habitabili,
Super deerrans presserim, iam
Mente Deum cohibente, gressus.

Nec profluenti fonte Aganippidos,
Velox ruentis quem scidit vngula
Equi, lupatis nonq; frenis
Bellerephonteq; nec soluti;

Superbus vnquam mollia sparserim
Ora: vnde magnos tollere spiritus,
Tentare fortunam potentem, &
Horrida bella vicesq; Regum,

Audax, & altum condere quærerem
Nunquam dolendi nostri opus ingenî:
[illegible]antam Homero vel Maroni
[illegible]æ dederunt sorores.

Humi quietus, non ego somnians
Mentem recepi Mæonij grauem
Vatis: nec edoctus Camœnis,
Ad superas Heliconis arces

Duxi perito carmina pollice.
Caput reuinctum non hederis meum
Mirata fallax plebs, rudisq;,
Nobilibus retulit Poetis.

Tamen furorem mens agitat nouum,
Cogitq; Graios dicere me modos,
Et Pindaro dilecta multum
Plectra referre manu sagacem.

Sedô Dearum Phœbe potens precor,
Quemnam virorum personet hæc mea
Aurata testudo? trophæi
Cuius in obsequium reclinet?

Dicam Scytharum versam aciem retrò,
Cæsas phalanges acriter hostium?
Turcæq; Moschorumq; vires,
Comminuisse Polona tela?

An-

An quem beato circumit agmine
Virtus ? in alto Poſneadum loco,
Magnum Sacerdotem bonumq́; ,
Omine compoſitura pulchro ?

Hunc & celebres anteeunt aui,
Propago gentis nobilis & vetus,
Et clara geſtis rebus, atq́;
Prodiga pro patria laborum.

Illos & armis fædifragi Dacæ
Norunt, nec ignorat refugus Scythes,
Vafra timendus pace ſemper,
Et mage miſſilibus ſagittis,

Inter cateruas Biſtonidum feras
Deprælíantes, non ſine gloria
Magna, refuſâ hæſiſse vitâ
Sæpiùs, & retuliſse prædas

Ferunt abactas; immemores ſui
Procul paternis & lare rureq;;
Hinc militauiſse impetusq;
Pectore ſuſtinuiſse forti.

Non

Non mussitabat miles in horridos
Iturus hostes; damna, pericula
Vitæ, recensendo loquax; at
Segnis in arma tamen ferenda.

Si quando pressit dira necessitas
Rempublicam, non defuit impiger
LVBINSCIORVM illi tuendæ
Flos animis iuuenum paratis.

Hic & fideli consilio Patres
Iuuit togatus, quaq; scientia
Circumferebat fortis arma,
Non minor ingenio sequaci,

Frequenter ægrotæ hac patriæ tulit
Opem quietæ. Quis flagitet mihi
Prudentem Vlyssem, Nestoremq;
Iliacis memores ruinis?

Catos Camillos, Fabricios graues,
Quis poscat amens? quis querulus malè
Extollat ætatem uetustam,
Cæcus ad acta domus LVBINSCI?

Audi

Auditis? an me ludit amabilis
Imago magni Præsulis? hic erit,
Qui rebus arctatis Polonis,
Consulet in melius recliuis.

Vitamq; totam, conscius ad suæ
Virtutis antiquæ, exiget optimè,
Exemplar olim diligenti
Iam trutina benè pensitatum:

Rempublicam seu sollicitus gerit,
Nullum, salubri consilio & fide,
Infra reponendus Senator,
Auxilioq; sat efficaci.

Ecclesiæ seu prouidus incubat,
Nulli secundum credite posteri,
Æuo sequenti quàm inuidendum
Archetypon facilè o futurum!

Alexander Casimirus Wołłowicz
Castellan: Nouogrodensis
Eloquentiæ & Iurispru-
dentiæ Stud.

ODE

ODE

DICOLOS TETRASTROPHOS.

O diu noſtris bone Præſul aris
Debitus, votiſq; veni, & præaltis
Poſneam tectis ſubeas ſecundus,
Omine fauſto.

Ciuium gratos oculos morantem
Exhibe vultum, Patriæq; noſtræ
Redde iam lucem tenebris fugatis,
Inclyte Paſtor.

Namq; te præſente, dies ad inſtar
Temporis verni populo redibunt
Gratiùs multò, ſalubreſq; ducent
Flamina venti.

Nobilis blando procul hinc ſit auro
Vita, priſcorum malè mentientium-
Aureum ſeclum; fluuiuſq; fulua
Hermus arena

Pactolus

Pactolus cedat, Tagus atq; cedat,
Diuites amnes; tibi Præsul alme,
Varta fœcundus reuehet coruſcum
Flumen obrizo.

Fauſtitas felix, & amœna pratis
Vndiq; vbertas, chlamydem virentem
Cincta, ridebit tibi, blandiensq;
Copia cornu.

Bella diſcordi metuenda fronte,
Finibus noſtris procul ite, paxq;
Præſuli gratis onerata lauris,
Seruiat vna.

Hieronymus Cielecki
Stud: Eloquent

ODE

ODE.

TRICOLOS TETRASTROPHOS.

HVC huc, vmbriferis regna potentia
Lauris, Calliope, & dulcia deserens
Fontis Pegasei arua,
Molli cum Cythara veni.

Ne semper gelidos aut Heliconis, aut
Hæmi, vel virides Pierij iugi,
Regalis meditere,
Lucos. dic age tibiâ

Currum magnificis turgidum honoribus,
Insignem numeroso agmine Sarmatum,
Sublimis vehitur quo
Vrbem in Posneadum inclytam,

Præsul magnanimus, gente LVBINSCIA.
Æquata superis, progenitus bono
Cæli sydere, pensis
Parcarum atq; fauentibus.

Hic

Hic rerum columen, summus eritq; apex,
Artes auspice quo, atq; hæc Academia,
Cultrix ingeniorum,
Cœlo mox caput efferet.

Florebunt iuuenum pectora, mollia
Formari eximijs artibus, optima
Magnorum seges olim, &
Longa examina ciuium.

Quales orbe nouo per medium æthera
Phœbe flectit equos, purpureis nitens
Flammis, sed nisi pulcro
Solis lumine splendida.

Sic sic auspicio pulcra LVBINSCII,
Diffundet radios nostra Academia
Latè, non metuetq;
Constans nigram hyemem Noti,

Tempestatis acris nec Boream ducem,
Flatus terribiles aut Aquilonios:
Nulli noxia, dente
Nec mordebitur inuido.

Hic illam placido lumine viderit,
Fortunamq; pius costituet pede
Recto, mobilis atq;
Saxi vis ruet improba.

Hinc illum ad superos fama feret polos,
Seris inseret & posteritas memor
Seclis: Pieridesq;
Numen propitium canent.

Qui Musis fauet, hunc non cineres tenent
Obscurum: haudq; vetant ire per ardua
Mundi climata clarum,
Vmbræ difficilem mori.

Eduxêre suis vrbibus horridis
Turres aerias; percupidi boni,
Et nunquam morituri,
Multi, nominis; ipsa sed

Hostis consilijs diruta mœnia,
Æternam dominis puluere sordido
Attraxêre ruinam.
Nunquam Pyramides neq;

Mauso-

Manſolea, valent effugere impiæ
Mortis ius rigidum. Neſcius obrui
Rex Iagello, quatit quàm
Pulcro ſydera vertice!

Morem iam tacitæ creſcit ad arboris,
Viuax eximij fama Lubranſcij:
Rozrazeuius & non,
Regnum Perſephones timet,

Ioànnes Euſtachius Koſsakowsky
Capitan: Lomzen: & Gulbinenſ.
Eloquentiæ Stud.

ODE.

MONOCOLOS.

ANtiſtes, ſtudij dulce decus mei,
O & præſidium, magnaq; ſpes boni:
Dum vertente noui curriculo venis
Anni, quo generi nil hominum datum
Maius, vel melius, nil quoq; lætius,
Inter tot tibi quæ vota parauero?

Eſt

Est his temporibus qui redeuntibus,
Optauisset amicis solidas opes
Cræsi, Tagi fluminis aurei,
Et vestem Tyriam murice nobilem.

Hunc si tangit amor crescere honoribus,
Et famâ quatere vsque æthereas domos:
Illum si stimulant tot nemorum atq; agri
Curæ: dant populi vota benigniùs.

Verùm me nec honos, nec tua dignitas
Hoc optare iubet: vita superstes vt
Sit, rerum facilis prosper & exitus,
Ac his mens benè sana: addiderint tibi
Fausti cætera Dî: non magis & prece,
Et thuri faciles sollicitem Deos.

Petrus Ciswicki Castellan: Sremen: Stud: Poes.

ODE

ODE

DICOLOS DISTROPHOS.

NOn, si me nouus occupat
Ardor, flagitio dignus habebitur.
Tantæ non tacitus diem
Vnquam lætitiæ prætercam insolens,
Quamuisq; ingenio minus
Solerti valeo: nec mea carmina,
Vel thecas Adamantinas,
Aut aurum mereant; attamen occinam.
Hic vnguenta capacibus
Conchis funde puer; Pocula Massici
Hic appone frequens: rosas
Huc fer, sparge citò candida lilia.
Istum festus agam diem,
Felicem domui ritè LVBINSCIÆ,
Vnde hæc gemmula prosperè
Et sydus rutilum duxit originem.
Quæ lux gratior incolis
Fulsit Posneadum? tristia quis mihi
Ingratus memoret? quis &
Mentem sollicitis questibus impleat?

Cum noſtrum iubar & decus,
Iam pridem meritis Præſul honoribus
Dignatur, numeret noua
Sic ſemper facilis præmia: Poſneam &
Felici regat omine,
Vitam & ſemper agat triſtitia procul.

Wladislaus Ciſwicky Caſtellan: Sremen; Stud: Poes:

O D E

TRICOLOS TETRASTROPHOS.

VAtes diſerti, carmine diuite,
Multi, decoras mox referent tuas
Magnasq; virtutes: ego illis
Inferior, pia vota ſoluam.

Me tertium iam, fata fauentia,
Miſcere ſuadent non ſine laudibus,
Me Soſpitatori benigno
Ferre Ioui cyathum calentem:

Patro-

Patrone dulcis, Præsul & optime
Quado inuidendis fultus honoribus,
Sellam curulem illuſtriorem
In medio repetis Senatu.

Virtutis almæ hoc eſt, meruiſſe ſat
De publica re; eſt & meritis pari
Mercede donari, fruiq;
Fine laboribus expetito.

Hyacinthus Rozrazewsky
Stud: Poes.

ODE

DICOLOS DISTROPHOS.

Verax Apollo ſi Chelym me tãgere,
Doctæ q; nunquam fallere
Suaſére Muſæ, Præſul o ampliſſime.
Vetus religio patribus
Noſtris amata plurimũ redibit: &
Tenax redibit iam fides,
Velata

Velata panno candidoq; veritas,
Sed nuda toto pectore,
Felicibus sub auspiciis surgent tuis
Moresq; quàm integerrimi.
Nec turba pulcrè mentientium suam
Tenebit vltra mimicam
Personam. Et audax in caput scelus ruet:
Consistet amplius neq;,
Malignitatis impotens, superba, vis.
En pollicetur hoc tuus
Vultus benignus; quem intuemur blandulè;
Surgentis vt solis faces.
Hoc pollicetur apprecatio, satis
Fausta omnium applaudentium,
Præclaro honori tam tuo. Rex & bonus
Promittit hoc de te sibi;
Qui te redonabit Senatorem optimum
Virtute dignis præmijs.

Ioannes Rozrazewsky
Stud: Eloquentiæ

ODE

ODE

DICOLOS TETRASTROPHOS.

TAndem, deproperes alta silentia,
Qui Graiæ moderaris Cytharæ melos,
Summis verticibus Pieridum sacris,
Cynthi, rumpere peruicax,

Regum nil cupias gesta potentium,
Nec latè populis imperium patens,
Percensere Lyra: Parciùs haud canes
Claræ clara LVBINSCIÆ

Gentis stemmata; quæ sydereas tenent
Arces. nescia cui lucida cornua
Sunt Tauri? ille Ioui dum obsequitur libens?
Cui ignota iacent quoq;,

Dum nostri officio Præsulis incubat?
Dat mulcenda bonis, fronte petit malos.
Quod si (mens hominũ quod fabricat, quod &
Ignauis etiam patet)

Linquas ſtemmatibus reddere nobilem, &
Virtutes videas Præſulis arduas,
Cælo iure Deos hunc prope colloces,
Veſci nectare melleo.

Illi non animus iuſtitiæ tenax,
Prudens in dubijs rebus, & abſtinens
Lucri, , nonq; deeſt candida pectoris
Virtus. Proxima gloriæ

Immortalis erit, peruia comitas
Cunctis: perpetuus pro patria & labor,
Seu Mars horribili detonet impetu,
Fuſo ſanguine geſtiens,

Ac æquare ſolo regna per impiger
Vrbes: ſeu vacuus militiæ feræ,
Non antè oppoſitis obicibus, biceps
Ianus clauſtra coerceat.

Andreas Caſimirus Wołłowicz
Succamerar: Trocen:
Eloquentiæ Stud:

ODE

O D E

DICOLOS TETRASTROPHOS.

HOstibus Romanus adusq; victis
Gaudeat miles; numeretq; magnos
Clara deductos capitolium per
Roma triumphos.

Vrbium & Regum, celebrent trophæa
Virginum mistæ pueris cateruæ,
Præda victorem sequitur reuincta
Cùm redeuntem.

Nos iuuat pulcræ meminisse lucis,
Et dare applausus; iuuat auspicatò
Præsulis Posnam venientis almi,
Ora videre.

Pulchriùs nunquam, roseis capillis,
Inter errantes dubio recursu
Syderum luces, micat atq; splendet
Memnonis altrix.

At nec aurata facie decorus,
Multa post ingratæ hyemis feræq;
Nubila, & cæcas tenebras, resurgens
Phœbus Eoo,

Corda sic mortalia, suauiore
Luminis flamma recreat fouetuè:
Præsulis quàm nos hilarat LVBINSCI
Lumen amœnum.

Morte Patronos obijsse dira
Luximus multos, tenuêre sedes
Hasce, qui Musas coluêre nostras
Semper amicè.

Sculpsimus mæsti, & memorem querelam,
Inter illorum monumenta sacra,
Inter & Fastos, meliora tandem
Fata vocantes.

Seculum priscum redijsse læti,
Nostra quo florem repetita Musa
Nunc suum, gratum nimium secundè
Fundet odorem;

Plaudi-

Plaudimus, princeps tibi gratulantes,
Et dies faustos, petimus rependant
Dî tibi, successibus & beatis,
Vota secundent.

Hic diu nostris aderis benignus
Rebus: hic viues potiore vitæ,
Laudis & cursu: neq; dum precamur
Altius vrgens.

Petrus Malczewski
Eloquent Stud.

ODE

TRICOLOS TRISTROPHOS.

Omnibus ergo licet sua nũc depromere vota?
Et apprecari Antistiti.
Omina grata pio?

Quantum quisq; potest, tantũ molitur anhelãs,
Assurgere in laudes boni
Principis egregias.

Me nec dulce canens aliorum Muſa mouebit?
Nec feſta turba ouantium?
Non alacresq; animi?

Solus ego piſcis mutus, tacitæq; columnæ
Ceu marmor, exigam diem
Hunc ſine muneribus?

At ne Iuppiter alme ſinas tantum ſcelus vnquã,
Et vos puellæ Heliconiæ,
O prohibete nefas.

Lechiacæ gẽtis decus eſt prægrãde LVBINSKI
Noſtri Lycæi ocellus, &
Vnica ſpes opulens.

Succede ergo bonis auibus, digniſsime Præſul,
Nec pertimeſce Poſneæ
Tecta ſuperba pede

Attrectaſse ſacro: veniet facilis tibi multum
Labor hic. Erynnis nec canum
Morem imitata ferûm

Diſtrin

Distringet rabiem tetram: Citò languida secum
Sed membra ad inferni trahet
Impetuosa domum.

Scilicet Hæreseon sine fraude vigebit ouile,
Et sub tuo gubernio,
Clariùs astra petet.

Huic nitor & veniet, surgentq; minantia cœlo
Cacumina alta turrium;
Atq; Corynthiaco

Ære repercussos radios iacient procul; & te,
Vt alterum Lubranscium,
Conscia templa Deo,

Multa voce canent. Atq; hæc auida bibet aure
Ætas auorum subsequens,
Et pueris recinet.

O te quantumuis præclara Miechouia magnis
Gemat parentem lachrymis,
Flebilibusq; modis.

Illæ

Illæ animæ sanctæ, primis maioribus olim,
Quæ Sarmatas ceremonias,
Edocuêre sacras.

Et licet vsq; pijs suspirent pectora votis
Chelmensium, Mystes quibus
Tu datus eriperis,

Ingratas iam linque moras, citus inspice nostros
Diuos penates, te neq;
Vlla retardet hyems.

Mobilis ingenio ne cures quas struat artes
Suecus, Polonæ non benè
Hastæ animiq; sciens.

Occidit & cruciger buccas inflatus vtrasq;
Et Moschus atrum comminans
Sarmatiæ exitium.

Nunc te, Posneadum tensis Ecclesia palmis,
Gestit videre Principem,
Grata suo populo.

Porrigit & fasces, & auitos tradit honores,
Et apprecatur secula
Prospera mille tibi.

Albertus Dachowski Eloquen: & Mathemat. Stud.